AUTHOR: HUG, ARNOLD

TITLE: ARNOLDI HUG QUAESTIONUM....

PLACE: TURICI

DATE: 1870

Master Negative #

91-80416-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87C94
DZ6 Hug, Arnold, 1832-1895.
...Arnoldi Hvg Qvaestionvm Cvrtianarvm pars prima. Tvrici, typis Zvrcheri et Fvrreri, 1870.
20 p. 27 cm.

At head of title: Rector Vniversitatis litterarvm Tvricensis commilitonibvs certamina ervditionis propositis praemiis in annos MDCCCLXX-LXXI indicit...

153444

Restrictions on Use:



TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8-19-92 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202





RECTOR

VNIVERSITATIS LITTERARVM TVRICENSIS

COMMILITONIBVS

CERTAMINA ERVDITIONIS PROPOSITIS PRAEMIIS

IN ANNOS MDCCCLXX—LXXI

INDICIT

PRAEMISSA EST

ARNOLDI HVG QVAESTIONVM CVRTIANARVM
PARS PRIMA.

TVRICI
TYPIS ZVRCHERI ET FVRRERI
1870

QVAESTIONVM CVRTIANARVM

PARS PRIMA.

Per opportunitatem fragmenti Curtiani, quod Conradus Bursian feliciter reppererat in Rhenaugiensium librorum manuscriptorum farragine, cum hi ex antiqua sua sede in bibliothecam rei publicae Turicensis transportati essent, quid statuerem de Curtianorum librorum familiis, breuiter significabam in Mus. Rhen. Vol. XX, p. 117 seqq. Etenim hoc noui e perantiquo illo fragmento disci posse demonstrabam: codices interpolatos melioris notae, quales sunt Florentini DFGJ alii, non manasse ex ipso optimorum, qui uocabantur, archetypo, h. e. Bernensis, Leidensis, Vossiani, Florentini A — quae sententia et ab Hedickio in quaestionum Curtianarum specimine et a me in libello, qui inscriptus est: »Beiträge zur Kritik lateinischer Prosaiker« antea proposita erat. Quod contra nunc adparebat ex alio quodam antiquiore exemplari interpolatos illos fluxisse, quod, ut hoc uerbo utar, sui iuris esset et propriam suam efficeret familiam. Fossio igitur id esse concedendum loco, quem supra laudaui, docui, non omnia, in quibus discederent interpolati, merae uel felici uel infelici coniecturae deberi; ex eodem autem fragmento effici etiam illud, summo iure a Jeepio aliisque uiris doctis pro suspectis habita esse interpolatorum additamenta, quorum Fossius bene multa »ad lacunas explendas« in suam receperat orationem.

In qua commentatione mea cum haec scribebam (pag. 127): non licere eis libris fundamento critico uti; si qui autem antiquior eiusdem familiae codex felici casu reperiretur, cuius esset et Rhenaugiense fragmentum et codices illi ipsi, tum hunc fore eodem numero habendum atque illos quos optimos dicere soleremus — haec igitur cum scribebam, ignorabam paullo post fore ut quod sperarem eueniret. Namque antiquior ille alterius familiae codex nunc adest: Parisinum dico bibliothecae imperialis numero 5716 insignitum: qui cum uel obliuione uel falsa aetatis opinione obrutus iaceret, nuper ab Hedickio laudabili sane studio in lucem est prolatus.

Hic autem liber effecit, ut ego, qui hodie primum fungor hoc academico munere commentatione litteraria praemiis renuntiandis praeludendi, ad Rhenaugiense fragmentum hac occasione oblata reuerterer. Primum enim mea intererat experiri, num re uera ea communione Rhenaugiensis et Parisinus coniuncti essent, quam inter illum et interpolatos melioris notae deprehenderam; deinde quod maius erat, Rhenaugiense fragmentum ad illam ipsam quamvis exiguam partem Curtianae narrationis, quam continet, ex praeceptis artis criticae constituendam non parui momenti esse arbitrabar uel ad confirmandas uel ad infirmandas ceterorum librorum lectiones, tertio denique loco putabam fieri posse, ut, si eiusdem familiae uterque testis esset, cum de tota eius indole tum de singularibus Parisini uel uirtutibus uel uitiis aliquid saltem ex eo cognosceretur. Eo magis autem id facere institui, quod Hedickius in editione sua id fragmentum, de quo agimus, ne mentione quidem dignum habuit, nisi quod uno loco VIII, 8, 8, ubi ex eo solo uera lectio peti poterat, falso quidem sub nomine Reichenauensis excerpti necessario coactus fuit id commemorare. Id uero ante omnia monendum est, utriusque codicis cognationem, si qua est, non posse esse eam, ut Rhenaugiensis a Parisino pendeat, quippe quem uiri harum rerum periti, qui mecum Parisiis librum inspexerunt, decimo seculo ineunti attribuerint. Non est igitur Parisino reperto Rhenaugiensis uetustatis quem obtinebat principatu deiectus.

Ex priore Rhenaugiensis fragmenti particula, quae »de legatione Scitarum« inscripta est et uerba exhibet inde a VII, 8, 12: »igitur unum«, — usque ad eiusdem capitis § 30 ‚considera', haec habeo quae hoc loco moneam. Cum Parisino consentit in hisce bonis lectionibus: 1) 8, 17: *iugum, bouē et aratrum*, quod propius abest ab eo, quod est uerum: *iugum boum*, quam ceterorum bonorum librorum memoria: *boues*. 2) 8, 18: *cum isdem* pro: *iis*. 3) 8, 30: *habebis* pro mendoso reliquorum: *habes*. 4) 8, 23 denique in solo Rhenaugiensi uera lectio inuenitur: »*eludiat*«; cum in reliquis bonae notae libris scriptum extet: *eludat*, Parisinus autem suo: *eludiad* (non *eludiat*, quod Hedickius inuenisse sibi uisus est) ad id quod uerum est proxime accedat. Quibus si addidero, Rhenaugiensem et in leuioribus ueluti: 5) § 22 in *Tanain* forma et in falsis ut 6) § 17: *nec Sytharum quidem* cum Parisino facere, his iam sex lectionibus in tantulo hoc spatio deprehensis nemo erit quin perspiciat eiusdem hos duos libros familiae esse. Eodem pertinet, quod 7) in eadem § 23 uterque in uerbis quae sunt: *Scytharum solitudines Graecis etiam prouerbiis audio eludi*, miram formam: *prouerbia* praebet, de qua quod ad Parisinum adtinet Hedickius tacuit sicut de ea eiusdem libri lectione, quam sexto loco posuimus.

In hoc autem tanto librorum consensu tamen non desunt, in quibus uel maxime inter se discrepent. Ut mittam minutias quae ad orthographiam pertinent, uelut quod § 15 Rhenaugiensis »*rubigo*«, alter uero »*robigo*« habet, ceterae quae inueniuntur discrepantiae eodem ducunt, quo litterarum forma, quae antiquior aliquanto est in Rhenaugiensi: aut ex integriore etiam fonte hunc esse deriuatum aut saltem in quibusdam archetypi lectiones diligentius seruasse, e. gr. § 22 Rhenaug. »*scies*« scribit, Parisinus solus falso: »*sciens*«. Qua de re quid ad § 23 de utriusque fide statuamus, iam supra demonstratum est; huc accedit quod quam lectionem § 30 Rhenaugiensis exhibet: »*collimus*« pro eo quod est: *colimus*, ea sane et lectione ceterorum, in quibus etiam Parisinus est, praestabilior est et quomodo oriri potuerit uolgaris haec scriptura: »*collibus*,« sola explicat. Haec si recte disputata sunt, non iniuria mihi uideor illud »*rebellare*« § 21 pro simplici »*bellare*«, quod in omnibus praeter Rhenaugiensem scriptum extat, in Mus. Rh. l. l. p. 120 Curtio uindicasse. Ceterum praeter Gualterum, quem ibi laudaui, conferas etiam apud Curtium ipsum de eisdem Sogdianis uerba haec (VIII, 1, 35): *Sogdianam regionem mihi attribuis toties rebellem.* Quae uero praeterea solus Rhenaugiensis habet, § 18: *graeciae scythiae* pro eo quod est: *syriae* (ex reliquorum *Scythiae* emendatum), § 28: *caue ne credas*, deinde *es* uocis omissionem in § 26 post »*id quod*« uerba, ea omnia me iam non tam magni facere confiteor, quam olim, postquam eis nec ex Parisino subsidium accessit nec aut ex Bernensi, quem ipse contuli, aut ex Leidensi, cuius conlationem admirabili cum cura diligentiaque in meum usum confectam Alfredi Holderi debeo beniuolentiae.

Accuratius aliquanto ac fusius exponere in animo est de altero eoque multo maiore excerpto Rhenaugiensi quod inscribitur: *Obiectio Hermolai in Alexandrum regem.* Id a uerbis VIII, 7, 3: »*utor, inquit*« pertinet usque ad haec uerba eiusdem libri 10, 2: »*duribus usurus*«. Eius autem fragmenti, quod sex paginas Hedickianae editionis complectitur, totam hic conlationem haud abs re esse duxi oculis legentium subicere, paginis et lineis illius quam dixi editionis adscriptis. Ad eam enim hanc conlationem nunc institui.

Hed. pag. 181 lin. 11: *inquid.* 12: *macedonion.* 13: *a uilissimo.* 14: *philotes. cincestes.* 15: *clippeis.* 17: *retulisti.* 18: *aspersit sanguine suo.* — *nec simplici.* 19: *aculeum.* 24: *suppremum.* 25: *strinexerat.* 26: *hermolaum iussit* (omisso: *dicere*). *petitque.* 27: *coercitus.* 28: *Vuam* (pro *quam*). 29: *et calisthenis.* — *carcarcere* pr. m. 33: *pulcherrimū* pr. m. 34: *callestenen.* 35: *distinatus.* 37: *abuteros* pr. man. — XXX (omiss. *milia*).

pg. 182. lin. 2. *relaturi sunt.* 5: *exossos ês.* 8: *uenerarque* (i ante q. suprascripto). 14: *caepisti.* 15: *orbam.* (Cap. 8). 18: *falsa sunt.* — *a magistro dixit* (omisso *suo* post *magistro* uocem). 20: *tamen non solum ipsi audiretis.* 21: *inpudens.* 22: *rabiae quâ.* 24: *gressisset.* — *antiquissimus* pr. man. 26: *et oportere eũ fieri et a tutoribus.* 28: *impia.* 30: *ignoratis, commemorare* (omisso *et* inter has uoces). 33: *philotan.* — *lincestem.* 35: *parmenium* (pro eo quod est *per biennium*).

pg. 183. lin. 2: *non ipsorum modo* (omisso *in*). 6: *cũ repellamus* (pro: *uim r.*), — *quid ego miser.* 7: *exprobare.* 9: *aspicite.* 13: *sunt quidem apud me moderationis mae certissimum inditium.* 15: *assiam.* 17: *ut illos subegissem* (omissis uerbis: *quos bello*). 19: *qui sube* (in margine addito: *per*). 24: *cupimus.* — *auaritia uestra adhuc implere uelle.* 25: *eorum in macedonas transeundo* (ut reliqui omnes). 29: *illud poene dignum risu fuit.* — *ermolaus.* 30: *agnoscor.* 31: *in mea potestatē est* — *optulit.* 32: *quas aegimus.* 33: *indii.* 35: *optinuit.* — *luxoriae.* 36: *adsuetis nihil inlius hac uidere materia.* 37: *nec auro quidem.*

pg. 184. 1: *auri haud argenti.* 4: *diuictis.* 6: *statuisse.* 10: *nam cũ calisthenen.* 12: *quaem si.* 14: *nunc colinthio.* 15: *dampnatos.* 16: *coherte.* 17: *callesthenes.* 18: *capud.* — *ut quaquam aule et adsentantium.* 20: *caedis.* — *inuidiam praeditum* (omisso *quod* inter has duas uoces). — *optimus* pr. m. 22: *perseueret.* 23: *occederit.* 24: *credulitatem* — *consecutus est.* (Cap. 9.) 25: *in inuidiam.* 27: *exspectat.* 28: *speciosa.* 29: *cedunt* (pro *excedunt*). — *inclitus.* 31: *a* post *uehit* omissum. — *calorè.* 32: *ab oriente eius exnmiis a meridiana oregione.* 34: *in eum obiectae.*

pg. 185, 1: *findens.* 2: *exorbet.* 3: *quia e rebro reuerheratur.* — *repperit.* 4: *acesineũ auget.* 5: *in mare incipit.* 6: *obici.* 7: *caedunt.* — *diardines.* — *auditus est.* 8: *caeterum non cocrodillos.* 10: *ethimantus.* 11: *carpitus.* 13: *regno* pr. man. — *ignobiles quod.* 14: *interfluut* pr. man. — *caeterum.* — *aquiloni maxime decurrunt his.* 19: *exustat. nec cûr ubri senatura causa.* 20: *quod alluitur, nec colore quidem quide aborret.* 21: *ab erithro.* 25: *inusitate.* 26: *rinocerotas.* 27: *elefantorum* — *affrica.* 28: *respondit.* 31: *commertium.* 34: *capud illos.*

pg. 186. lin. 6: *luxoria.* 7: *apellant.* — *uicia.* 8: *sê ne in publico.* 9: *per quot.* 10: *margitis.* 11: *destincta.* — *aurũ purpurea carbasa.* 13: *cantus aeriis.* 17: *plectit atque ornat tunc responsa legationis.* 20: *belicũ.* — *binũ cubutorũ.* 21: *maiore nisi quã effectũ* (hoc *m* erasum). 22: *oneratus.* 23: *longiora ubi.*

26: *ordo separatum* (omisso *sequitur* inter has uoces). — *est* (post *agmen*) omissum. 27: *luxoriam.* 33: *autem segnis.* 34: *expetitam mortem pro decore uitae habent.* 35: *ullius.* 37: *tegunt.* — *scithes spectare.*

pg. 187. lin. 1: *loeti.* 2: *quicquid.* — *caeperunt.* — *uiolarae.* 3: *capitale est.* — *descripserunt.* 6: *caepit.* 8: *aut sine operae.* 12: *peruenisse patrem* (omisso: *memorantes* inter has uoces). 14: *itenerum.*

Rhenaugiensis qua cognatione Parisini teneatur, statim adparet exemplis hisce:

	Rhen. Par.	Bern. Leid.
Cap. 7, § 7:	*suppremum* (de Par. omis. Hed.)	*supremum*
16:	*Hermolaum iussit*	*Hermolaum dicere iussit*
10:	*Callestenen* (Par. *Callesthen.*)	*Callisthenen* (Leid. *Callistenen* pr. m.)
» 8, 10:	*inditium*	*indicium*
17:	*auri haud argenti* (om. Hed.)	*auri aut argenti*
19:	*nam cum Calisthenen* Par. *Call.*)	*nam tuum cum Calisthenen* (Leid. *tuum Cal.?*)
22:	*inuidiam praeditum*	*inuidiam quod praeditum*
ibid.	*consecutus est*	*consecuta est*
» 9, 1:	*in inuidiam*	*in Indiam*
2:	*speciosa*	*spatiosa*
3:	*inclitus amnibus* (Par. *inclytus* — om. Hed.)	*inclytis amnibus* (Leid. *inclutis* pr. man.)
4:	*uehit colore* (Rhen. *calore*)	*uehit a colore*
7:	*repperit*	*reperit*
9:	*Diardines*	*Diardenes*
11:	*sed ignobiles quia* (Rh. *quod*)	*sed ignobilibus quia*
15:	*libri arborum*	*liberi arborum*
17:	*respondit*	*respondet*
23:	*sene* (Par. *saenae*) *in publico*	*sane in publico*
ibid.	*per quot ferri* (om. Hed.)	*per quod ferri*
27:	*pectit* (Rhen. *plectit*) *atque ornat. tunc responsa*	*pectit atque ornatam responsa*
31:	*horridum genus est, quod sapientes*	omiss. *est*
35:	*siderum motus scithes* (Par. *scites* — omis. H.) *spectare*	*s. m. scite spectare*

His igitur in lectionibus, quas modo adtuli, uel malis uel bonis (bonae autem sunt, quippe quae solae uerum exhibeant: **9**, 15. 27. 31) prorsus cum Parisino Rhenaugiensis facit contra alteram familiam. Praeterea autem sunt loci, in quibus hi duo non eadem, at similia exhibent, ut inde quoque sat certo intellegatur eorum cognatio:

	Rhen.	Par.	Bern. Leid.
Cap. 8, 6:	*parmenium*	*patriennium*	*per biennium* (Eussnerus *per triennium* scribi iubet)
19:	*quaem si Macedo esset*	*quam* etc.	*quem* (Leid. pr. m. *qui*) etc.
21:	*ut quaquam aule et adsentantium*	*ut quaquam aule adsentantium* (errauit Hedickius[1] de Parisino)	*haud quaquam male adsentantium*
» **9**, 5:	*ab oriente eius exnmiis*	*ab oriente ius eximius*	*ab oriente fluvius eximius*
7:	*reuerheratur*	*reuerebatur*	*reuerberatur*
32:	*expetitam mortem pro decore uitae habent*	*expectatam mortem pro decore uitae habent*	*expectatam mortem pro dedecore uitae habent.*

Quae exempla si quis accuratius inspexerit, idem facile ex eis effici perspiciet, quod iam minoris excerpti ad librum septimum pertinentis examine adsecuti sumus: aut ex antiquiore atque aliquanto meliore eiusdem familiae archetypo Rhenaugiensem hausisse quam ipsum Parisinum aut saltem, si eundem fuisse statuas, accuratius nonnullis locis se ei addixisse. Duobus enim locis (**8**, 11 in eo quod est: *dimidiam partem* et **8**, 21) Rhenaugiensis solus inter omnes praebet quod uerum esse constat; aliis tribus locis (**8**, 19. **9**, 5. **9**, 7) eius lectio a ueris uerbis, quae altera familia praebet, una duabusue litteris propius abest Parisini scriptura. Inde fit, ut etiam **9**, 32 eum solum ueram scripturam habere obtineam; huius enim sententiae, quam proposui M. Rh. l. l. p. 124, mutandae tantum abest ut ullam causam inuenerim, ut contra nunc

[1] uel potius Otto Matthiae, ut nunc uideo ex Hedickii commentatione, quam in appendice laudaui.

accedente Parisini testimonio in illo »*decore*«, quod quo modo paulatim deprauata sit scriptura demonstrat, confirmari eam putem. Nec abest suspitio, quin etiam **8**, 3 uestigia ueri in Rhenaugiensis scriptura delituerint; vide l. l. pg. 124.

Ceterum ne quis in eum errorem inducatur, ut omnium Rhenaugiensis et Parisini discrepantiarum causam positam esse statuat in diuersis quibus usi sint archetypis, oculos conuertat ad deprauatarum lectionum Rhenaugiensis congeriem, quam non sine taedio quodam supra contulimus: inde discet etiam librarii neglegentia orationem non pauca uitia traxisse. Idem prorsus de Parisini librario dicendum esse nec aliunde ignotum est (cf. Hedickii praefationem) et efficitur exemplis his, quae eo magis hoc loco ex mea huius partis conlatione subiungam, quod Hedickius in his codici suo nimium pepercisse uidetur: Sic in Parisino scriptum est: **7**, 10: *destinatus sint*, **7**, 11: *abuteri*, **7**, 12: *delectant*, **7**, 14: *haud* insontibus, *haud* quod, **8**, 1: *ista* tradita (pro *iste*), **8**, 11: *subegissent*, **9**, 23: *uitiam* (pro *uitia*), **9**, 28: *affectu* pro *effectu*, **9**, 29: *uehiit*, **9**, 30: *sobitum*, quae omnia in Hedickiana editione sunt omissa. Haec autem mera librarii peccata esse etiam ex eo sequitur, quod Rhenaugiensis neque ea ipse habet neque cetera, in quibus Parisinus ab altera familia discrepat. Veluti quae apud Hedickium quoque indicata uides, **8**, 3: *sine gessisset* pro *se. g.* **9**, 3: *morte* pro *monte*, **9**, 9: uerba »uti *Nilus*« omissa, **9**, 10: *ocolis* pro *accolis*, alia[1]; in eis locis omnibus Rhenaugiensis uitio caret.

Non igitur sine aliqua probabilitate hanc fere fuisse Curtianorum librorum historiam animo nobis repraesentamus: Quem archetypum communem omnium fuisse statuimus, is mox in duas familias librariorum et incuriae et inscitiae

[1] Ceterum miro errore et ego M. Rh. pg. 122 Rhenaugiensem ob praestabilem scripturam laudaui **7**, 11: *relaturi sint*, et Hedickius idem praedicauit de Parisino suo: extat uero apud utrumque idem mendum quod ceteri antiquiores habent: *relaturi sunt*. Praeter autem illos quos supra commemoraui Hedickii errores, hic alios quosdam notare liceat. **9**, 12 scripsit omnes codices in *deurunt* lectione consentire, cum scribendum fuisset: *decurrunt*. Est etiam ubi lectiones quasdam perbonas silentii testimonio suae conlationis nimium uidelicet credens Parisino tribuat, quae in eo reuera non reperiuntur; ex. gratia III, 1, 1: ubi *marsus amnis* altera familia habet, Parisinus prima manu: *marsas*, non *marsyas* praestat. Ita disertis uerbis X, 1, 14 pro ceterorum *palmis frementibus* in Parisino rectam scripturam esse contendit: *frequentibus*, cum ille in praua lectione prorsus congruat cum ceteris. Alia autem id genus, ita ut falsa pro ueris uenditentur, in editione Hedickii, cui laudem codicis Parisini in lucem protracti nec reliquorum, quae bene meruit de Curtiana crisi, detrectare equidem nolim, uereor ne aliquotiens acciderint.

culpa ualde inter se discrepantes abiit. Ex altero exemplari grauibus sane turbis adfecto descripti sunt quattuor codices, qui hucusque haud iniuria optimi uocabantur: Bernensis, Leidensis, Vossianus, Florentinus A. Qui autem hos libros conscripserunt tanta fide archetypi sui uerba presserunt, quanta uix credi potest, ita ut fratres germanos dicas eos haud immerito. Quantopere inter se consentiant etiam in difficillimis et corruptissimis locis, id uno exemplo liceat comprobare. Finis III libri inde a **13**, 16 in Bernensi et in Leidensi sic exaratus est: *summa pecunia signata fuit talentum II et sescenta, facile argenti pondus quingenta aequabat. praeterea XXX hominum cum VII B iumentorum dorso onera portantium capta sunt. ceterum tantae fortunae proditorem sepulturae celeriter debita poena persecuti sunt. namque unus e consciis eius, credo, regis uicem et iam in illa sorte reueritus, interfecti proditoris caput ad dareum tulit oportunum solacium prodito: quippe et ultus inimicum erat et nondum in omnium animis memoriam maiestatis suae exsoluisse cernebat.* — In quibus uides ut de ceteris taceam etiam in numeris aut litteris aut siglis indicandis prorsus inter se consentire hos duos libros; consentiunt autem etiam in omittendo illo quod est »*milia*« post »*talentum* II« et post »*praeterea triginta*« uoces; quae enim linea in Bernensi priore loco suprascripta est, ea recentiore manu est addita. Inde sequitur maxima fide hos librarios etiam in erroribus exarandis archetypum suum secutos esse: hoc solum discriminis in uniuersum iudicanti inter eos esse uidetur, quod qui Bernensem scripsit facultate praestitit statim recte scribendi, cum contra in Leidensi a prima manu ortae correctiones rasuraeue eaeque accuratissimae conspiciantur multo frequentiores, ut taceam de permultis illis, quae posterioribus manibus debentur.

Alterum autem exemplar, quod ex communi omnium archetypo manasse diximus, cum multis quidem locis, in quibus alterum peccauerat, bonas scripturas adseruasset, multis uero etiam de suo corrupisset scriptoris uerba, non ita bonos nactum est successores. Qui enim Parisinum conscripsit siue eo ipso, siue, quod equidem malim, secundario eius exemplo usus, is multo neglegentius munere suo functus est quam Bernensis, Leidensis ceterorumque eiusdem familiae librarii. Nec multo melius rem suam confecit Rhenaugiensis florilegii auctor; qui quod in quibusdam locis a Parisino ita discedit, ut illo aliquanto exhibeat meliora, aut ipse primario ex fonte hausit, cum Parisinus hauserit ex secundario eiusdem familiae aut, id quod concedo item statui posse, his nonnullis locis maiore describendi diligentia usus est. Superest ut de eis dicatur, in quibus Rhenaugiensis in praestantioribus lectionibus ita discedit a Parisino,

ut hic cum altera familia aut prorsus consentiat aut saltem dimidia ex parte, ueluti in exemplis supra adlatis VII, 8, 30: *collimus*, VII, 8, 21: *rebellare*, VIII, 8, 10: *dimidiam partem*, VIII, 8, 21: *aulae et adsentantium*, VIII, 9, 32: *expetitam mortem pro decore uitae habent.* Vnde uero Parisini cum alterius ordinis libris consensus contra praestantes illas Rhenaugiensis lectiones? In his statuendum est, aut facile duos librarios in eundem calami lapsum incidere potuisse aut in archetypo ipso iam duas lectiones uarias fuisse, quarum altera alterius corrigendae causa erat addita, ut qui describeret aut alterutram aut utramque in uerba sua reciperet. Quod, ut hoc exemplo defungar, non potest non accidisse in illis uerbis VIII, 8, 19: ubi, cum in archetypo scriptum exstaret »*nam cum C.*,« ei uoci addita erat correctio »*tuum*«; utramque igitur lectionem Bernensis librarius recepit, unam uero, sed falsam eam quae erat »*cum*« is, qui alterum exemplar confecit.

Haec igitur cum fata fuerint mutuaeque Curtianorum librorum rationes, quaestio exoritur, utra duarum quas distinguamus necesse est recensionum sit praestantior. Mota autem haec est quaestio ab Adamo Eussner in specimine critico ad scriptores quosdam latinos pertinenti, quod anno 1868 Wirceburgi edidit (cf. eundem Eussnerum de hac re disputantem in actorum Wirceburgensis philologorum conuentus pg. 158). Eussnerus enim in solo Parisino uel omnem uel fere omnem salutem positam esse contendit, ita ut etiam Parisini uitia ceterorum tolerabili lectioni sint praeferenda (pg. 7 eius commentationis). Etiam Hedickius, qui in editione ipsa ob neglegentiam librarii Parisino libro aliquanto quam ceteris minorem auctoritatem attribuisse uidetur, postea in litteris ad Eussnerum datis aliter se iudicaturum esse dixit in commentatione de codice Parisino, quam propediem esset editurus — quae commentatio quod sciam nondum publici iuris facta est. Similem in modum Eduardus Vogel in indice librorum a Teubnero edendorum (pg. 5 huius anni) in editione, quam scholarum in usum pararet, Eussneri asseclam se fore pollicitus est. Qua tamen in re quamquam Parisinum ex tenebris protractum plurimi aestimandum esse puto, uereor ne nimii nunc sint uiri docti illi in extollendis laudibus illius libri, quem ut filium perditum denuo repertum esse gaudent. Id enim mihi uidetur criticis illis accidere, ut bonitate quarundam lectionum in hac recensione perspecta ingratis animis obliuiscantur, quot aliis locis alteri, ex qua manauerunt, qui optimi uocabantur, recensioni uera etiam nunc debeatur scriptura; deinde, quod iam supra dixi, Hedickius compluribus locis conlationis suae testimonio silentii deceptus est.

Sic cum in III libro quattuordecim inuenerim locos, in quibus Parisinus solus uera praebeat, in eodem circiter triginta sunt, in quibus ne Eussnerus quidem, si Curtium ederet, alteri recensioni non putaret esse obtemperandum. Quam deinde seriem bonarum Parisini lectionum Eussnerus (pg. 9) ex VIII libro deprompsit, ei facili opera opponas multo maiorem numerum locorum eiusdem VIII libri, in quibus ceteri codices meliora praebeant; conferas si placet cum eis quindecim exemplis, quae l. l. Eussnerus ex primis quattuor huius libri capitibus proposuit, haec, quae in contrariam partem facere nemo non uidet:

Parisinus (praua lectio)	Bern. Leid. (recta lectio)
VIII, **1**, 18: quam	quamquam
1, 38: actis	iactis
ibid.: tam	tamen
1, 45: at Ptholomeo	a Ptolemeo
1, 47: coierent	coirent
1, 51: nunc	I nunc
2, 7: terrenti alius timentique	terrenti alias, alias timenti
2, 8: occubere	occubuere
2, 9: offerri	offerre
2, 13: commisit	misit
3, 11: uenisset	uenisse
3, 13: noscit	nosci
3, 14: diuersam	diuersa
4, 3: internitente	internitente luce
4, 5: repente	tum repente
4, 11: strenuesque	struesque
4, 13: et iam	sed iam
4, 18: copiarum	copiarumque
4, 20: relictam	relatam
coacta	cocta Bern. (Leid. ipse pr. m. coacta)
ibid.: Sagas	Sagos
4, 29: et captiua	e captiua.

Nec ideo, quod fortasse horum exemplorum, quae sine ullo attulimus delectu, plurima eius generis sunt, ut etiam ope librorum destitutus ex coniectura facile medelam petere possis, falso concludas grauiores ex Parisino errores

sanari posse quam ex ceteris; etenim in utraque recensione prorsus eiusdem generis menda inueniuntur, quibus alterutra subsidio ueniat. Exempli gratia cum recte »*in siria*« uerba Parisinus VIII, **1**, 15 seruauisset pro ceterorum »*insidia*«, contrarium accidit VIII, **9**, 1: ubi ceteri id quod uerum est »*in Indiam*« praebent pro Parisini et Rhenaugiensis memoria »*in inuidiam*;« item si VIII, **1**, 12 Parisinus recte scripsit: »*spatiosas*«, ceteri male »*speciosas*«, uices inter se duae illae familiae mutauerunt VIII, **9**, 2 in eadem uoce.

Fac igitur omnes illos locos et ceteros eiusdem generis usque ad hoc tempus aut tales tantum cognitos fuisse, quales in Parisino exstant, aut ex coniectura uel etiam ex interpolatis suspectae fidei libris correctos, nunc uero felici casu accidisse, ut alterius classis unus siue Bernensis siue Leidensis subito reperiretur, quo aut confirmarentur aut emendarentur editorum conamina, quanto tum gaudio putas criticos illos exultaturos fuisse, qui nunc Parisino inuento haud immerito tantopere laetantur? Est ergo ceterorum, qui optimi uocabantur, librorum propria auctoritas etiam post Parisinum repertum: qui si aliquanto (sed non amplius dimidio saeculo) aetate illos superat, hoc discrimen non est tantum, ut uim habeat uicariam maioris negligentiae, qua adparet etiam ex Rhenaugiensis discrepantiis Parisini librarium usum esse in aeque bona recensione describenda. Neque igitur infitias ibo esse locos ubi Parisini potius uestigia sint sequenda, nec uero in aliis locis alterius classis codicibus eandem laudem eripi patiar.

Iam ut ad singulos locos transeamus, initium faciam a tribus exemplis, in quibus alterius quam dixi classis bonitas enitescat.

Vno uerbo moneo III, **1**, 17 hanc lectionem, quam inter omnes constat unice ueram esse: »*ne in omen*« (quorum loco scriptum est in Parisino: »*ne nomen*«) non in omnibus alterius classis libris inueniri. Extat autem in Bernensi, ita ut i vocalis in praepositione postea erasa sit, Leidensis uero prima manu: »*ne in omnem*« scriptum habet.

III, **12**, 13 »*Persarum quoque nobililissimis eundem honorem haberi iubet matrique Darei permitti quos uellet patrio more sepeliret.*« Sic ediderunt omnes ad unum; ex Hedickii silentio sequitur, ut ea uerba etiam in Parisino ita exhiberi statuamus. Quid autem est illud: *permitti iubet?* quasi uernaculo sermone diceremus: er ertheilte den Befehl, es solle der Mutter des Darius die

Erlaubniss gegeben werden. Matri autem quae ipsa aderat quis hercle alius permittere quicquam potuit nisi Alexander ipse? Bernensis autem et Leidensis, qua de lectione tacet Hedickius, exhibent quod uerum est: *permittit*[1].

VI, **5**, 32. *Acrior ad Venerem feminae cupido quam regis, ut paucos dies subsisteret, perpulit.* Sic ex Parisino Hedickius cum omnibus ceteris editoribus. Verum hac in orationis conformatione desideratur obiectum »*perpulit*« uerbi. Etenim non utrumque, et regem et reginam, sed eorum alterutrum intellegendum esse, comprobatur cum aliis causis tum uerbi *subsisteret* singulari numero. Veri autem uestigia insunt in alterius classis lectione, quae est: *regis ac ut*, ex qua facile elicias, quod Curtius scripserat: *hunc, ut . . . subsisteret, perpulit.*

Quibus subiungam duos locos, in quibus nescio cur communem utriusque classis fidem deserendam putemus. III, **6**, 17: *deditei* ad haec »*dediti ei*«, ducunt, ubi *ei* vox non pro datiuo singularis numeri, sed pro nominatiuo pluralis habenda est.

III, **12**, 20, non solum P et V, ut Hedickius dicit, sed etiam B et L: *itaque orientem* (sc. fortunam) *tam moderate et prudenter tulit* praestant pro eo, quod uolgatur: *orientem eam.* »*Tam*« autem illud, quod ad »*moderate*« uocem h. l. pertinet, scriptori nostro in deliciis esse, uide, si tanti sit, in Muetzellii adnotatione pg. 81 eius editionis ad uerba: *tam graue agmen* III, **7**, 1.

Liceat denique in fine disputationis nostrae uerba facere de aliis nonnullis locis, in quibus utraque familia eandem labem traxit. IV, **1**, 22: »*Et cum in regali solio residebis, uitae necisque omnium ciuium dominus, caue obliuiscaris huius, in quo accipis regnum, immo hercule, propter quem.*« Quibus in uerbis cum aliquid deesse adpareret, interpolati libri (Flor. DFG) post »*huius*« illud »*status*« uocem inseruerunt. Hanc autem esse diuinationem neque ulla ullius archetypi fide niti, id nunc ex Parisino, in quo ipso »*huius*« tantum pronomen legitur, certo efficitur iudicio. Ei uero nouiciorum librorum coniecturae se addixerunt omnes editores. In hac rerum condicione licebit aliam coniecturam proponere, quae etiam litterarum ductus aliquam habeat rationem. Scribendum enim existimauerim loco »*huius*« illius: »*habitus*« uocem, uel si malis: »*huius habitus*«. Hoc enim uocabulum apud Curtium uestis etiam uel

---

[1] Ex eodem libro monendum, III, 3, 24 Leidensem non „*tum*“ aduerbium sed cum ceteris omnibus „*tunc*“ exhibere; deinde III, 4, 1: pro eo quod est: *Ciliciam* et in Bernensi et in Leidensi non „*etiam*“, sed „*cicam*“ prima manu fuisse exaratum.

uestitus notionem habet, vide sis § 22 haec uerba: »*habitus hic uestis*«; deinde VII, **1**, 20: non ullo addito epitheto uel genetivo: »*habitum etiam, in quo te comitari solemus, reddidisti.*« Haec igitur erit si nobis obtemperaueris horum uerborum sententia: »memor esto huius squalidae, sudore et labore detritae uestis, in qua regnum accepisti; caue obliuiscaris laboriosae et modestae uitae, cui regnum debes.« Hanc autem emendationem etiam ob sententiae uigorem recentiorum codicum lectioni praeferendam duco.

IV, **7**, 15: *Iamque haud procul oraculi sede aberant, cum complures corui agmini occurrunt, modico uolatu prima signa antecedentes et modo humi residebant, cum lentius agmen incederet, modo se pennis leuabant cedentium iterque monstrantium ritu.* Haec est librorum antiquorum memoria. Dudum autem intellectum est *cedentium* uocem sensu carere. Scripserunt igitur nouiciorum quorundam codicum librarii: »*praecedentium*«. Laueri autem inuento Hedickio teste debetur quod in omnibus editionibus scriptum extat: *antecedentium*; eleganter enim coniecerat ille, hanc praepositionis *ante* omissionem facile explicari ex »*ant*« terminatione uerbi, quod praecedit. Sed uereor ne haec emendatio elegantior sit quam uerior. Quid enim est hoc: *signa prima antecedentes — modo residebant modo se leuabant — antecedentium ritu?* (Namque *et* coniunctio illa, quae in codicibus extat inter *antecedentes* et *modo* uoces rectissimo iudicio ab Hedickio inducta est). Ergo antecedere quisquam dicatur antecedentium ritu? quod quo alio ritu facere possit? Nisi uel maximam neglegentiam, quae Curtii profecto non est propria, ei hoc loco attribuere uelis, alia notio eaque singularis subsit necesse est huic genetivo qui ab »*ritu*« uoce pendet. Ne moras nectam: restituendum est: »*ducentium*«, quod graecam uocem: *ἡγουμένων* uel *ἡγεμόνων* Curtius latine uertisse putandus est. V, **4**, 13: *ducere* eodem modo usurpatum est: *praedem me accipe, neminem eorum, qui sequuntur, recusaturum ire qua duces.* Procliuem autem hanc *cedendi* et *ducendi* uerborum permutationem fuisse cum multis aliis probatur exemplis tum hoc ex Curtio ipso desumpto: III, **12**, 10: *postquam nemo producere audebat*, ubi ex Modii coniectura constat emendandum esse: *procedere*; parili modo VI, **7**, 25: pro eo quod est: *indicium* Bern. habet: *incendium.* Adhibita igitur quam proposui emendatione haec emergit species loci: *modico uolatu prima signa antecedentes modo humi residebant, cum lentius agmen incederet, modo se pennis leuabant, ducentium iterque monstrantium ritu.*

III, **6**, 10: *Rex inquit, semper quidem spiritus meus ex te pependit, sed nunc uere, arbitror, sacro et uenerabili ore trahitur.* In his Philippi medici

uerbis pronomen desideratur, quo indicetur, cuius sit sacrum illud et uenerabile os. Quod pronomen elicio ex sequentis »*trahitur*« uocis initio, ut scribam: »*ore tuo trahitur.*«

III, **8**, 3: *ancipitem fidem, et mercede uenalem proditionem imminere.* Haec librorum uerba hoc modo, ut posui, interpungit Zumptius, ut duo existant enuntiata, quorum priori *esse* infinitivus cogitatione addendus est. Qualis tamen constructio ut per se fieri potest, ita peruersam sententiam efficit in eis quae sequuntur; nec enim duo statui possunt proditionis genera, alterum quod mercede uenale sit, alterum quod non sit. Rectissimo igitur usus iudicio Hedickius rem ita uidetur commate illo deleto instituisse, ut illa quae sunt: »*mercede uenalem*« cum »*fidem*« accusatiuo coniungeret, ut ad unius nunc quod euaderet enuntiati subiectum pertineret epitheton utrumque: »*ancipitem et mercede uenalem.*« Inde consequitur, ut uitium in »*proditionem*« uoce quaeramus. Quam dum ego eadem ratiocinandi uia qua Hedickius procedens in datiuum, qui est »*proditioni*«, muto, Hedickius »*in*« praepositionem adiecit. In hoc tantillo emendationum discrimine ut etiam nunc datiuum meum praeferam, adducor Curtiani sermonis consuetudine: ubique enim quod sciam »*imminendi*« uerbum Curtius cum datiuo iunxit. IV, **1**, 19: *cum multos imminere tantae spei cernerent.*« V, **11**, 2: *occasioni imminens adloquendi eum*, IX, **1**, 21: »*qui deditioni imminebant*«, VI, **10**, 22: *sic ergo imperio, quod dedignor, immineo.*«

VIII, **4**, 26: »*Achillem quoque, a quo genus ipse deduceret, cum captiva coisse, ne inferri nefas arbitrarentur: ita matrimonii iure uelle iungi.* Scripsi ex Hedickii uerborum distributione. De librorum memoria monendum, Leidensem et Bernensem »*arbitrentur*« habere (non *arbitretur*). Ceterum quod maius est, non possum non mirari infelicissimo Koehleri commento Hedickium obsecutum esse, qui propter »*ita*« aduerbium, quod sane ineptum esse uidetur, totum enuntiatum *ne inferri nefas arbitrarentur* ab eis quae sequuntur seiungi et cum praecedentibus coniungi iussit. Quid? Coiit ergo Achilles cum Briseide ne nefas inferri arbitrarentur? inde fit ut nisi Achilles coisset cum illa nefas sibi inferri putaturi fuerint nescio qui homines. Quod absurdum esse nemo non peruidet. Insunt uero in Alexandri uerbis, quibus cupidinis suae excusationes colligit, duae eaeque diuersae sententiae. Primum: ut Achilles cum Briseide captiua coiit, ita ego quoque utile duco ad stabiliendum regnum coire cum Roxane filia Persae captiui, deinde: ne uero id nefarium Persae habeant, facere id uolo legitimo matrimonii iure. Pro corrupto autem illo »*ita*« conicio:

»*illam*«, quippe quo pronomine aptissime significetur non amplius sermonem esse de Briseide, sed de Roxane: »*ne inferri nefas arbitrarentur, illam matrimonii iure uelle iungi.*«

VI, **7**, 27: *Ille clamitare coepit eodem temporis momento, quo audisset, ad Philotan decurrisse, ab eo perconperta. Rex item quaerens an Philotan adisset* et q. seqq. Vno uerbo monitum uelim, illud *item* mihi mendosum uideri. Scribendum proposuerim equidem: »*iterum*«, ut respondeat eis quae antecedunt in § 25: *rursusque institit quaerere quotus dies esset.* Sed restant grauiora: quae in libris leguntur »*ab eo perconperta*«, ea coniectura sanare conatus est, qui Florentinum G scripsit, ita uti »*ab eo percontaretur*« uerba illorum loco poneret. Quae coniectura quod sciam in omnibus editionibus recepta est praeter unam Hedickianam, quamuis sit et temeraria ob litterarum formam neque grammatica ratione commendetur. Etenim Curtius quidem si personam addit ex qua quaeratur, accusatiuum post *percontandi* uerbum ponere solet: VIII, **1**, 29, IX, **2**, 2, IX, **2**, 5; duplicem et personae et rei accusatiuum uide V, **11**, 7. Hedickius uero Ieepium secutus est qui ingeniose, uti solet, *operiendi* h. e. celandi uel tacendi notionem hoc loco subesse coniecit. *Operire* enim hoc sensu adhibitum esse tibi persuadebis, si contuleris Quint. II, **13**, 12, VIII **6**, 59: *quotiens dictu deformia operit*, V, **12**, 18. Plin. ep. III, 16 *operire luctum*, Plaut. Capt. III, **3**, 9 *operta quae fuere aperta sunt.* De re ipsa quae hanc uel similem notionem postulat conferas § 21: *ac ne tum quidem regi quae audierat, aperit*; qui uero non aperit, is operit; sic etiam in responso Philotae VI, **10**, 21 Ieepius »*operturus*« recte restituit.

Ipsa autem uerborum conformatio, quam Ieepius proposuit et Hedickius recepit: »*ab eo operiri comperta*«, dupliciter laborare mihi uidetur. Primum enim frigidi uerborum lusus causa, qui minime quadrat in condicionem Nicomachi, contraria notio, quae est in »*comperta*« uoce, *operiendi* notioni addita esset; deinde pro infinitiuo praesentis iure exspectaueris perfectum. Quibus incommodis qui nos expediamus, uia certissima parata mihi uidetur. Namque si scripseris: »*ab eo operta*« h. e. *esse*, non solum his quas memoraui dubitationibus liberatus eris, sed etiam facillime quomodo uerba deprauata sint perspicies. Cum enim aliquis »*ab eo cperta*« errore scripsisset postea »*oper*« litteras corrigendi causa supra lineam addidit. Postero autem tempore ab alio librario, qui haec pro addendis haberet quae supra scripta erant, in lineam ipsam recepta sunt: *ab eooperconperta* uel *ab eoperconperta*, quae nunc in libris leguntur.

Idem prorsus accidisse in illo, quod est »*tuum cum*« Bernensis libris (VIII, 8, 19) supra demonstraui.

Quod in prouerbium abiit, habere sua fata libellos, id uerum est multis modis. Iam enim ad finem perductam hanc academicam scriptiunculam traditurus eram typothetae, cum mihi ab Hedickio commentatio maxima cum cura confecta, quam adhuc frustra me expectasse supra commemoraui, transmissa est: inscripta ea *de codicum Curtii fide atque auctoritate* (Bernburg. gymnasii programma anni 1870). Quam si antea nactus essem, confiteor me quaedam in scriptiuncula mea aliter instituturum fuisse atque breuius expositurum de aliis, de aliis fusius. Nunc uero in his quibus premor temporis angustiis, cum accurate exponere impediar quibus in rebus Hedickius mihi persuaserit, quibus non item, pauca tantum hic appendicis loco ponam.

Primum quod ille pg. 4 dixit Snakenburgium in eo maxime errasse, quod Leidensi libro ea tribueret, quae a secunda manu essent exarata, uerissimum est; sed id dicendum erat non solum de eis quae Hedickius huius rei attulit exemplis, sed etiam de nonnullis eorum quae praecedunt, ne Snakenburgius quasi temulentus codicem illum contulisse uideretur. Sic III, **3**, 23: *et* supra lineam in Leid. scriptum est. III, **2**, 1: *caram* a sec. manu additum; item III, **2**, 5: *bactrianorum*, III, **3**, 3: *Alexandrum*. Errauit Hedickius III, **11**, 7 quod dixit *opimum* codicem praebere, scriptum extat *optimum*. X, **1**, 9 recte Snakenburgius ex Leidensi: *et ingentarumque* adnotauit; in qua scriptura prorsus consentit cum Bernensi.

Deinde aliquotiens codicibus alterius classis (B L ceteris) iniuria fit ab Hedickio; velut quod pg. 17 praedicauit de Parisino, X, **6**, 8: scriptum esse in eo, quod proxime ad ueritatem accederet, *cogitantumque*, id ipsum extat et in Bernensi et in Leidensi, quod disertis uerbis et mea illius et Holderi huius conlationes testantur contra Zumptium qui recentioris manus *cogitatum* lectionem eis tribuat. Item VII, **1**, 38 Bernensis ipse cum Parisino consentit exhibens: *Gorgiam et hegateum et gorgatan* (non ita Leidensis). (Fallitur Hed. de hac re pg. 20.)

Quod maius est, etiam perlecta Hedickii commentatione, quamvis concedam compluribus locis Parisini lectiones ceteris praestare [1], me non poenitet alterius ordinis librorum defensionem suscepisse ab ingrata obliuione earum lectionum, in quibus ipsi Parisino meliora exhibent. Etenim Hedickius quoque, qui in editione sua mediam quandam uiam tenuerat nunc se pg. 30 eo inclinare profitetur, ut omnibus locis, ubi fieri omnino possit, praeferat Parisini lectiones. Ut igitur ueteri illi praecepto »audiatur et altera pars« satisfiat, nunc eis exemplis, quae supra ex primis quattuor capitibus octaui libri attuli, addam bonarum lectionum ceterorum, Parisini uitiorum seriem ex tertio libro totam:

	Par.	B L
III, **2**, 10:	spulsus	expulsus
2, 8:	octo milia	octo milium
2, 12:	subicere	subiecere
3, 1:	est *om.*	praeceptun est
ibid.	ut *om.*	ut acciperet
3, 16:	sacrauenerant	sacrauerant
3, 20:	spiculo	spicula
3, 23:	et quae educabant	et qui educabant
4, 2:	studia	stadia
5, 5:	iectum	deiectum
6, 6:	accidere	acciderit (Leid. accideret)
6, 16:	perci	percipi
6, 19:	plerumque militari	plerumque in re militari
7, 8:	ut ni	utrumne
7, 9:	anticipiti	ancipiti
8, 6:	a se	ad se
8, 17:	uenientes	uenientis
8, 20:	solitudinem	sollicitudinem
ibid.	fortuna	fortunam
8, 22:	praemissa	praemissi
10, 4:	uari	uaria
10, 7:	tot	iam tot
11, 11:	procederent	proderent
11, 24:	non maiestate, sed etiam	non maiestate solum, sed etiam

---

[1] In quibus quod (pg. 22) VI, 2, 2 *tempestiua conuiuia* praefert *intempestivis*, de eo ipse, antequam Parisinus accederet, idem sentiebam; hoc uero loco emendatio facillima est, cum in utroque, et Leidensi et Bernensi, sic scriptum extet: *uicerintempestiua*, quod ex *uicerunt tempestiua* ortum esse nemo non uidet.

Par.		B L
III, **12**, 18:	ad Hellesponto	ab Hellesponto
12, 27:	at Herculi	atque Herculi
13, 1:	satrapam	satrapa (satrapas L.)
13, 6:	nobilesque	liberosque
13, 11:	destituo	destituta
—	auaritia	auaritiam
13, 14:	nemnonis	memnonis

Sed iam satis molesti huius laboris, quem non nisi necessario coactus suscepi, ne neglegentissime conscripti codicis huius Parisini una quaeque litterula quasi adoraretur. Verissimum est Hedickii iudicium, genuinam lectionem non consulto ab hoc librario esse deprauatam (pg. 25); sed etiam fit, ut neglegentia inconsulto interpolet. Quod inprimis intellegi uolo de quibusdam pronominibus additis, quae etiam nolenti excidere possunt. Velut additum illud *eos* X, **7**, 18, additum deinde illud *te* VII, **8**, 20 post *esurire* uerbum, quod in archetypo non fuisse euincitur consensu et alterius ordinis et Rhenaugiensis atque ipsius Gualteri Alex. VIII, 428.

De aetate Parisini quae nunc Hedickius pg. 13 adnot. 11 nobis narrat, ea legens non temperaui quin riderem. Etenim eundem praestantissimum uirum, cuius auctoritate nititur, ipse, cum aliquot dies Parisiis degerem, consulebam; tum ille mecum de decimo saeculo cogitabat. Vides igitur quam lubricae sint hae quaestiones; id uero constat, neque esse discrimen aetatis, quod inter Parisinum atque alterius ordinis libros intercedit, tantum, ut inde multum efficiatur, nec Rhenaugiensem descriptum esse posse ex Parisino. Haec hactenus.

Iam superest, ut omnes, quibus Vniuersitas litterarum Turicensis curae est, certiores faciam, quae sacris eius anniuersariis die XXVIIII m. Aprilis rite concelebratis ADOLFVS GVSSEROW Vir Clarissimus, penes quem fasces Academiae nostrae sunt, de eruditionis certaminibus propositis proponendisque publice renuntiauerit.

In quibus doleo breuem esse narrationem de quaestionibus, quae ante hos duos annos propositae sunt: infelici enim casu accidit, ut nemo commilitonum soluere eas adgrederetur. Inde autem si quis effici putet, alienos esse ciuium Academiae nostrae animos a talibus ingeni exercitationibus, eum falli nobis persuasum est, neque desperamus futuros, qui in proximos annos uires suas in eiusmodi argumentis pertractandis experiri uelint.

In annos enim MDCCCLXX—MDCCCLXXI quaestiones nouas proponunt

I. Ordo Iurisconsultorum hance:

»Quellenmässige Darstellung der Lehre von der Actio Pauliana nach heutigem gemeinen Rechte.«

II. Ordo Medicorum hance:

»Die medicinische Facultät wünscht zur Ergänzung des anatomischen Wissens über den Proteus anguineus eine histologische Untersuchung der Gewebe und der wichtigsten Organe dieses Thieres.«

Eos autem commilitonum, qui laudabile consilium ceperint in quaestionibus illis soluendis uires suas periclitandi, commentationes suas iubemus insignitas memorabili aliquo dicto addita obsignata schedula nomen scriptoris indicante eodemque quo commentatio dicto munita Rectori Magnifico tradere ante Kalendas Januarias anni MDCCCLXXII.